

1284 copiarum continuo affuere: quæ parum compertum habeo, an consilio cessissent, ne cum eo hoste dimicare cogerentur, quem utique longe viribus præstare non ignorabant: ac tam diu classe in altum abducta, in anchoris, aut certe in proxima aliqua fuerint statione, quoad hostes inde abiisse cognitum esset: an potius ita evenerit, ut relicto ad obsidionem præsidio, classis cum reliquo copiarum ad vicinorum locorum oppugnationem (ne uno loco tempus tereretur) circumacta, ad primam hostium famam suis opem latura, mature affuerit. Id, ut dixi, quomodo sit factum, nobis parum constat. Venetus urbem rursus oppugnare adortus, cum multa cæde a muris est rejectus. Copiis inde abductis, obsidio tantisper continuata est, dum ii, qui ad præsidium relictæ erant, nunciato hostium reditu, relictis munitionibus (metune, an quia tedium longioris moræ eos cœpisset, nec hoc satis affirmare possum) trepide ad naves concessere. Hæc in Histria toto ferme biennio gesta dicuntur.

In Syria autem Veneti qui Ptolemaidem tenebant, cum Babylonio Rege inducias in biennium pepigere. Everterat ille per id tempus Tripolim, urbem clarissimam: inde simili fortunæ cursu Tyrum, Sidonem, Berythum captas diripuit, direptas incendio absumpsit. Ferunt inducias consulto ab illo cum Venetis & aliis Christiani nominis, qui Ptolemaide erant, tunc pactas, ne tanto rerum successu omnem in se verteret Europam. Verum ne sic quoque omnino cessatum. Nicolaus Romanus Pontifex clarissimos Europæ Duces ad opem Christianis rebus laborantibus ferendam per Legatos & literas concitavit: ipse mille & quingentos cataphractos equites suo nomine dedit. Ad quos in Asiam trajiciendos Veneti viginti longas naves Pontifici obtulere: viaticum ad hæc nauticum pro remigibus, quos suo ære Pontifex parasset, quod ut aliquanto maturius expediretur, Tripolitanus Antistes Venetias missus est. At Veneti, qui tanto studio hæc a Pontifice comparari videbant, ne ipsi quoque non omnia pro Christiano nomine moliri viderentur, viginti illis triremibus, quas Pontifici datas diximus, alias quinque suo nomine instructas adjece-
cerunt: quibus omnibus Jacobus Tepulus cum Pontificis Le-

gato

*Ptolemais a
Rege Baby-
lonio ever-
sa.*